

quod per fidem, et spem, prophetiam, et alia dona supernaturalia extra gratiam non mittuntur Personæ divinæ simpliciter, sed secundum quid, ut supra explicavimus, quia licet per fidem, et prophetiam cognoscatur de Deo, et per spem desideretur Deus, tamen non perfecte amatur super omnia. Unde secundum talem cognitionem et amorem non tractatur Deus, nec habetur ut inhabitans et manens intra, quia nondum a nobis habetur ut finis ultimus super omnia amatus, et consequenter nec ut fruendus, et amicitabiliter nobis conjunctus; et sic non convivit nobiscum, sed cognoscitur ut extraneus et desideratur languido, et efficaci amore, non sicut diligere et tractari debet Deus. Et ita adhuc longe est a tali corde in ratione conviventis et cohabitantis. Quod si longe est, non accedit, nec conjungitur, ac proinde nec mittitur, quia missio ad accedendum est. Per fidem autem non vivam, sed mortuam non acceditur, nec tangitur Deus, licet attingatur et cognoscatur, et potius premitur quam tangitur. Qui vero habitum gratiæ habent, et non actum, ut parvuli, vel dementes, habent in se Deum, et mittuntur ad eos Personæ secundum talia dona, non quia actu amatur, sed habitu: hoc enim sufficit ut dicatur esse amatum in amante, scilicet actu vel habitu, quia etiam ratione habitus gratiæ dedit eis potestatem, et jus fruendi Deo, scilicet ut Filii Dei fiant, unde jam habet in se et intra se Personas divinas, ratione illius juris, et potestatis, quam sibi dat gratia et filiatio Dei, ratione cujus habet intra se id quo debet frui, id est, Deum: *Regnum enim Dei intra vos est*, inquit Christus Dominus, Lucæ xvii.

## ARTICULUS III.

*Utrum non solum dona gratiæ, sed etiam ipsa Persona divina detur et existat realiter in anima ex vi missionis?*

I. De hac difficultate nonnulla tetigimus præcedenti tomo, circa quæstionem viii, d. viii, a. vi, ejusque plenior resolutionem in hunc locum remisimus. In ejus autem resolutione tradenda, unum supponimus, et aliud controvertimus. Supponimus ut certam, quod cum mittuntur Personæ divinæ, et dantur nobis, non solum dona creata gratiæ, sed etiam ipsa Persona divina et increata nobis datur, et peculiari aliquo modo est in anima, sic justa et sancta, quo non est in aliis rebus in quibus generali modo suæ immensitatis est per essentiam, præsentiam et potentiam. Difficultas vero est de modo isto peculiari quo est in anima sanctificata per gratiam, an sit præsentia realis et entitativa, ab immensitatis præsentia diversa, sicut in humanitate Christi realis, et substantialis unio datur præter immensitatis præsentiam; quod explicatur illa conditionali, an si per impossibile Deus non intelligeretur immensus, et ubique, tamen si infunderet alicui gratiam, deberet ei esse præsens realiter et intime in sua substantia.

II. Præsuppositum, quod tamquam certum habemus, constat ex his quæ diximus loco citato præcedentis tomi. Et a D. Thoma ita habetur pro certo, ut oppositum errori adscribat, cum in hac quæstione, articulo tertio, in argumento primo inferat pro inconvenienti, quod non donabitur ipsa Persona divina: quod, inquit: « Est error dicentium Spiritum sanctum non dari, sed dona ejus. » Et eodem modo in i, dist. xiv, in pri-

ma divisione textus, inquit: « Magistrum excludere ibi errorem dicentium Spiritum sanctum non dari in processione temporali, sed tantum dona ejus. » Et ratio est, quia hoc plene Scriptura significat, tum quia dicit Personas divinas in nobis habitare, et ad nos venire, Joan. xiv: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; et de Spiritu sancto dicit postea: *Apud vos manebit, et in vobis erit*, quod certe de donis gratiæ creatis non potest verificari, cum de ipsis Personis dicatur, quod manebunt, et venient ad nos; de donis autem creatis id verificari non potest; tum quia dicitur Spiritus sanctus esse in nobis, ut in templo suo i ad Corinth. iii: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti quem habetis a Deo, qui in vobis est, etc.* Tum denique, quia expresse distinguit Scriptura inter hoc quod est dari dona creata gratiæ, et dari ipsam Personam increatam Spiritus sancti cum dicitur Roman. v: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, quod frustra distingueretur inter charitatem diffusam, et Spiritum sanctum datum, si dari Spiritum sanctum non esset aliud, quam dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Adstipulatur etiam auctoritas Augustini xv de Trinitate, c. xxvi, ubi aperte dicit: « Ipsum Deum dari, cum datur Spiritus sanctus. » Et Ambrosii lib. i de Spiritu sancto, cap. iv, ubi Spiritum sanctum qui datur dicit esse ipsum Deum, qui simplex est in substantia, et ubique totus et concludit: « Quis ergo dubitet divinum esse quod infunditur simul pluribus, nec videtur? » Gratia autem creata non infunditur simul pluribus, sed dividitur singularis, prout Spiritus sanctus vult, ut ait Apostolus. Has auctoritates recitat magister in i, dist. xiv.

VARLÆ SENTENTIÆ CIRCA DIFFICULTATEM, EJUSQUE RESOLUTIO.

III. Duplex ergo sententia circa difficultatem supra positam versatur.

Prima tenet, missionem Personarum ita Personas ipsas dare in se, quod realem, et entitativam suæ substantiæ præsentiam habent in anima, præter illam communem, quam ratione immensitatis in omni creatura Deus habet. Ita communiter discipuli D. Thomæ. Videri potest magister Gonzalez i p. qu. viii, disp. xviii; Suarez lib. xii de Trinitate, cap. v; collegium Carmelitanum tract. vi de Trinitate, disp. xix, dub. v, n. lxxx, qui citat Cornelium a Lapide super caput primum Oseæ, n. xii, et alios.

Secunda sententia tenet hunc peculiarem modum existentiae Dei in sanctis per gratiam de se non requirere præsentiam realem ipsius substantiæ divinæ in anima per conjunctionem, et unionem aliquam realem præter præsentiam immensitatis, ita quod si Deus per impossibile non intelligeretur immensus, non sequeretur per locum intrinsecum, quod ratione gratiæ sanctificantis, et amicitiae supernaturalis esset realiter præsens animæ: quia unio gratiæ, et amoris solum est effectiva, non substantialis. Ita p. Vasquez i tomo, i p. disp. xxx, c. iii, et super hanc quæstionem xliii, art. iii, in notatione articuli, et sequitur p. Alarcon hic tract. v de Trinitate, disp. ix, cap. ix, qui citat Ruizium disp. cix, sect. iii, n. viii, qui tamen n. xi oppositam probabilem censet.

IV. Nostra conclusio sit: Missio divinarum Personarum etiam invisibilis, et ratione gratiæ facta in animam, necessario petit realem,

et intimam præsentiam Personæ missæ in ipsa anima præter præsentiam communem immensitatis : hæc enim manet etiam extincta gratia in homine peccatore. Requirit tamen præsuppositive, et tamquam conditionem necessariam, immensitatem, qua remota, non posset illa præsentia realis erga gratiam resultare. Hæc sententia sumitur ex D. Thoma quoad utramque partem. Et primo, quoad primam partem desumitur in primis ex generalibus locutionibus, quia istum modum existendi per gratiam in creatura rationali ponit tamquam specialem, et potioram ipso modo existendi communiter per immensitatem, quod non esset, si non esset existentia intima, et realis: nam sola præsentia moralis, quæ comparatur cum absentia physica, non potest comparari cum præsentia illa reali, et intima per immensitatem, et tamen dicit D. Thomas supra qu. VIII, art. III ad IV, quod : « Sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus. » Qui modus licet explicetur a D. Thoma per hoc quod sit sicut objectum cognitum et amatum, tamen cognitum et amatum, qui facit esse in rebus, plus dicit quam existentiam, seu præsentiam moralem. Et hunc ipsum modum explicans in I, dist. XXXVII, qu. I, art. II, illum numerat inter modos, quibus creatura realiter conjungitur Deo. Inquit enim quod : « Isti modi quibus Deus existit in rebus distinguuntur ex parte creaturæ in quantum diverso modo ordinatur in Deum, et conjungitur ei, non diversitate rationis tantum, sed realiter : cum enim Deus in rebus esse dicatur secundum quod eis aliquo modo applicatur, oportet ut ubi est diversus conjunctionis, vel applicationis modus, ibi sit diversus modus essendi. Conjungitur autem creatura Deo tripliciter. Primo modo

secundum similitudinem tantum, in quantum invenitur in creatura aliqua similitudo divinæ bonitatis, non quod attingat ipsum Deum secundum substantiam, et ista conjunctio invenitur in omnibus creaturis divinam bonitatem assimilantibus ; et sic erit modus communis, quo Deus est in omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, et potentiam. Secundo, creatura attingit ad ipsum Deum secundum substantiam suam consideratam, et non secundum similitudinem tantum, et hoc est per operationem, scilicet quando aliquis fide adhæret ipsi primæ veritati, et charitate ipsi summæ bonitati ; et sic est alius modus quo Deus specialiter est in sanctis per gratiam. » Ecce quam manifeste ponit D. Thomas etiam istum modum existendi per gratiam pertinere ad realem existentiam Dei in creatura, et specialem præsentiam ultra illam quæ est in omnibus per immensitatem. Unde dicit IV contra gentil. c. XVIII, quod : « Spiritus sanctus secundum substantiam suam inhabitat mentem. » Et in primo ad Annibaldum, dist. XIV, quæstione unica, art. III, quod : « Habetur aliquid per aliquem modum unionis, sicut habetur vestimentum vel albedo (qui sunt modi præsentia realis) homo autem quando justificatur, non solum unitur dono Dei, quod formaliter in anima recipitur, sed ipsi Deo per cognitionem, et amorem actualiter, quia qui adhæret Deo unus spiritus est, I ad Corinth. VI. » Denique, id deducitur ex perfectissima ratione amoris, qui non est contentus affectiva unione ad objectum amatum prout tale objectum est in apprehensione, sed quærit unionem effectivam, et realem, qua conjungitur objecto ipsi quantum potest, prout tradit S. Thomas I-2, qu. XXVIII, art. I, et hæc effectiva, et realis unio nascitur ex

priori affectiva, et intentionali. Unde cum missio Spiritus sancti sit per amorem perfectissimum, non debuit sistere in unione affectiva, et morali, sed realem, et intimam exhibere, per suæ substantiæ præsentiam.

V. Nec obstat quod res spirituales a loco, et præsentia reali non dependent, ut se cognoscant, et se fruantur, sicut duo Angeli possunt se frui, seque communicare independenter a præsentia locali: ergo etiam Deus, si alias per impossibile immensus non esset, posset communicari, et possideri a creatura, etiamsi præsens ei localiter, et substantialiter non esset.

Sed respondetur quod duo Angeli possunt se frui, et communicare quantum ad intentionalem communicationem, et quantum ad cognitionem, et amorem, etiam si sint absentes, non tamen quoad alias actiones, quæ ex motu locali possunt dependere, et in quibus Angeli etiam communicare possunt, sicut unus Angelus potest alium movere, religare, definire, aut confortare viribus, et contra alium defendere : quæ omnia sine præsentia locali fieri non possunt, et in his etiam communicare possunt Angeli, et sic ad perfectam communicationem requiritur præsentia localis, aut potestas, et libertas utendi illa : quin potius in hoc maxime puniuntur Angeli pœna sensus ab igne, quia non relinquuntur libere uti sua præsentia motiva, et locali, ut infra disp. XXIV, art. III, dicitur. Deus autem etiam ad cognitionem sui, et fruitionem immediatam indiget intima præsentia, eo quod uniri debet per essentiam suam loco speciei menti creatæ ut videatur, non sicut unus Angelus videt alium per speciem intentionalem ; et interim dum non revelatur, et unitur Deus menti beati, est tamen per

gratiam jam possessus ab anima cum potestate, et jure talis unionis : *Quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* : si autem filii, et hæredes, hæreditas autem est visio Dei in se. De hoc postea plenius agetur.

VI. Quoad secundam partem, quod iste modus, quo specialiter Deus est in anima, cum ad illam mittitur per gratiam, requirit, et præsupponit immensitatem, sine qua tamquam sine requisito non consurget iste novus, et specialis modus existendi in anima, est etiam D. Thomæ in I, dist. XXXVII, qu. I, art. II ad III, ubi inquit, quod : « Illi tres modi (scilicet existendi per essentiam, præsentiam, et potentiam) omnem creaturam consequuntur, et præsupponuntur etiam in aliis modis. In quo enim est Deus per unionem, etiam est per gratiam, et ubi est per gratiam, etiam est per essentiam, præsentiam, et potentiam. » Videri etiam potest in primo ad Annibaldum, distinct. XXXVII, quæst. I, artic. II ad I et III.

VII. Fundamentum conclusionis sumitur ex duobus, quæ in ista missione Personarum, et inhabitatione per gratiam concurrunt, quæ sine reali, et intima Dei præsentia salvari non possunt. Nec enim præsentia hæc in Deo potest intelligi per aliquam mutationem in ipso, quasi de novo acquirat eam in se, sed per novam mutationem creaturæ, quatenus nascitur in ea novus respectus realis conjunctionis ad Deum, et ista realis conjunctio, et immutatio creaturæ ad Deum, dicitur præsentia, seu existentia ejus realis, et specialis, ut optime notat D. Thomas in I, dist. XIV, qu. II, art. I ad I et II et III. Quare non solum attendimus ad novum effectum positum in creatura, quatenus respicit in se dona gratiæ, sed ad novum respectum ; quo creatura non sistit in ip-

sis donis, sed tendit in eum a quo dantur dona, ut ibidem dicit ad secundum. Et sic pro ista nova unione reali ad Deum, sufficit assignare in creatura novum ordinem, et respectum, quo creatura uniatur Deo seu præsens illi sit: omnis enim præsens Dei ad creaturam fit per aliquem effectum, seu mutationem ex parte creaturæ, quo conjungitur Deo in se, sicut mediante esse quod recipit a Deo fit præsens ei præsens communi immensitatis, et mediante assumptione unitiva, et applicativa humanitatis ad personalitatem Verbi, fit ei conjuncta in Persona, et specialissime præsens, et mediante gratia, et lumine gloriæ fit ei conjunctus, et unitus Deus. Restat ergo pro fundamento conclusionis explicare, qua unione fiat præsens Deus mediante effectu gratiæ, quia hæc non ita manifesta est, sicut in unione Personæ divinæ ad humanitatem in esse personali, et in præsens immensitatis ad existentes creaturas, et ad esse quod illis datur.

VIII. Dico ergo, quod unio ista, et præsens specialis Dei in anima supra præsens immensitatis est, et distincta ab illa, licet necessario illam præsponat. Consideratur autem dupliciter. Primo, quando est perfecta, et consummata, scilicet in gloria, et tunc manifeste constat esse unionem realem in ratione objecti intelligibilis, quia unitur ibi divina essentia loco speciei, redditque intellectum intime formatum ipsa divinitate in ratione objecti intelligibilis, ubi præsens hanc, et unionem Dei ad animam realem esse dubitari non potest, cum ipsa divina essentia vicem speciei, seu formæ intelligibilis habeat in quantum objectum est concurrentis intime cum ipsa potentia intellectiva ad eliciendum actum visionis, quod sine actu, et in-

formatione ipsius intellectus in esse intelligibili stare non potest, ut late explicavimus præcedenti tomo, disp. XIII. Est autem distincta præsens, et conjunctio Dei ab ipso contactu, et præsens quam habet per immensitatem, tum quia tota hæc præsens immensitatis habetur in anima nostra sine visione gloriæ, ut patet in nobis quando sumus in via; tum quia præsens, et contactus immensitatis habetur per hoc quod Deus conjungitur in ratione agentis dantis immediate, et intime ipsum esse effectibus, et sic sine ulla dispositione media redditur Deus præsens; sed quia immediate est operans in omnia. At vero unio, et præsens Dei in ratione speciei intelligibilis ad intellectum non est in ratione agentis, sed objecti manifestati; et sic supponit esse, et existentiam in eo cui manifestatur: ergo, et contactum immensitatis, quo operatur dando esse illi rei, cui est præsens. Supponit etiam in intellectu beati, cui conjungitur, dispositionem aliquam, media qua fit illa unio, et præsens Dei, et sine illa non fit, nempe lumen gloriæ. Et sic diversus contactus est iste, et præsens ab ea quæ fit per immensitatem, quæ dispositionem ullam non requirit ex parte creaturæ, cum totum esse det: licet supponat contactum istum in ratione agentis dantis esse, quatenus ipsum lumen gloriæ, et ipsam gratiam Deus efficit, et dando illi esse, tangit illam in ratione agentis, sicut alia omnia quibus esse dat.

Secundo, consideratur hæc præsens Dei non ita perfecta, et consummata, sed adhuc imperfecta, et in via, quando ambulamus per fidem, et non per speciem, et ita non unitur Deus realiter nostro intellectui in ratione speciei intelligibilis, nec in ratione objecti quo fruimur de facto, et consummate, et ideo

difficile intelligitur alius modus unionis seu præsens realis præter immensitatem, et præter contactum illum, quo producit gratiam in esse, et existit in illa. Et quidem D. Thomas explicat hunc modum specialem essendi præsentialiter in anima per hoc quod est in ipsa sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Quod ideo fecit D. Thomas ut per hoc poneret differentiam inter hanc præsens, et præsens immensitatis, per quam est præsens, et habet contactum sicut causa agens suo effectui immediato, per istam vero est præsens Deus ut objectum cognitum, et amatum intra animam, diversa autem præsens est agentis, et objecti. Cæterum in duobus est difficultas ad explicandam hanc realem præsens ex vi hujus præsens in ratione cogniti, et amati. Primo quidem, quia esse cognitum, et amatum solum dicunt denominationem extrinsecam in objecto quantumcumque cognoscatur Deus per gratiam, et supernaturalem cognitionem. Unde ergo inferunt realem, et intimam præsens? Quod si hoc explicetur de cognitione, et amore fruitivo, in primis obstat, quod pro hac vita non fruimur Deo realiter, sed in spe, et in radice gratiæ: ergo talis fruitio non requirit conjunctionem realem: nam etiam inter duos homines, quando fruuntur se se, solum in intentione, et spe, non requiritur præsens realis, et corporea: obstat secundo quod ad fruitionem rerum spiritualium nihil conducit præsens locorum, et realis, quia potest unus Angelus perfectissime alterum contemplari, et amare etiam si longe sit distans. Ergo si per impossibile Deus non esset ubique, sed absens in cælo, possemus per fidem, et charitatem ipsi conjungi, et eo frui fruitione imperfecta viæ, sicut conjungitur

Christi humanitati per fidem, et amorem, et Beatissimæ Virgini, qui tamen corporaliter, et realiter sunt in cælo. Secundo est difficultas, quia licet amor quando perfectus est, desideret, et quærat ardentem præsens amati, ideoque ex unione affectiva fiat tendentia ad præsens effectivam, et realem, ut bene S. Thomas dicit 1-2, qu. XXVIII, art. 1, tamen quando ipsa realis præsens amati consequitur, non per ipsum amorem fit tamquam per rationem formalem, neque tamquam per dispositionem mediante qua amatum fit præsens, sicut mediante lumine gloriæ divina essentia unitur intellectui: sed quando amans pervenit ad præsens amati, habet illam per corporealem contactum, si sit res corporea, sicut habetur pecunia, vel uxor, non per ipsum actum amoris, tamquam per rationem formalem vel dispositionem, mediante qua uniatur, et conjungatur sibi res possessa, sed per præsens, vel contactum corporeum appropinquat vel conjungitur res amata ipsi amanti, licet ex amore, si perfectus, et efficax sit, moveatur amans ad quærendam præsens rei amatæ, quæ tamen præsens per corporealem contactum exhibetur. Et in hoc puncto videntur laborare difficultate fere omnes qui istam præsens, et unionem realem Dei ad animam conantur explicare per ipsum amorem quatenus perfectissimus est, et exigit præsens amabilem ipsorum amantium: hoc enim verum est quod amor talem præsens exigit, et quærit, sed non formaliter facit: nec enim solus amor est ratio faciendi præsens realiter ipsos amantes, sed quando fiunt realiter præsens, id fit per contactum, et præsens corporealem, quam amans ex amore quærit, non amore constituitur præsens. Restat ergo his auctoribus assignare